



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii
In India Socij**

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

XII. Institutionis cuiusdam sodalitiij fructus ingens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

quum anni tempus, quàm apud pios Catholicos quadragesimale transigeretur. Et sanè hæc res tota Gasparis vita, non sine incremento in singulos dies maiore, perseveravit: & quidquid etiamnum ei rei tota India superest, vestigium est primæ illius poenitentiae feruoris. Sed ad aliud simile, fructu etiam maius, Gasparis institutum veniamus.

CAPVT XII.

Institutionis cuiusdam Sodalitij fructus ingens.

SI omnia quæcumque fecit Gaspar, ad proximi salutem propè innumera inter se comparentur, non satis scio, an quicquam simile huic, quod sequitur, possit reperiri: Habebant Goæ, vt ex initio huius historiae constat, sacrum vnum è Sodalitio D. Vrsulæ Cranium; illudque in India Dominus multis rebus admirabilibus honorat. Itaque iam Gaspar antequam iret Armuziam, omninò cupiebat aliquid ad illius sacri pignoris ce-

P s

lebr-

lebritatem perpetuam statuere: sed hoc eius desiderium Armuziana missio interturbauit, non etiam deturbauit. Cum ergo Goam rediisset, sua iterum desideria continebat, quod Iaponiam quamprimum cogitaret: sed ubi visum est Domino eum Goæ ad honorem suum tantoperè promouendum retinere, ac in eo loco statuere, ubi sua desideria non solum proponere posset, sed etiam exequi; nec sibi, nec vrbi, nec Virgini defuit. Atque diu seipsum ac Deum consulens, rem aggressus in initio paruum, sed quæ subito tantum excreuerit, ut breui tempore reliqua eius generis vel tota India, vel fortasse toto Christiano orbe superarit.

Fuit ea res Sodalitium, non solum Virgini honorificum, sed longè etiam magis proficuum ciuitati. Cum autem iam hunc & suo & aliorum consilio velut foetum bene conceptum in lucem edere decreuisset, consultò de Virginis laudibus, deq; suo consilio verba facit,

ac.

ac statuit toto biduo ante Aposto-
 lorum diem festum, reliquias illas
 & sacrum pignus detegendum, &
 populo ad spectaculum proponen-
 dum. Auditus est Gaspar, ut semper
 solebat, secundis suæ concionis au-
 ribus: sed effectus omnium, etiam
 Gasparis opinionem superavit. To-
 to illo biduo diurnis iuxta noctur-
 nisque horis non modò nunquam
 defuit, qui spectaret: sed etiam ad-
 mirabilis concursus fuit. Vulgò
 creditum est, duodecim ut minimũ
 mortalium millia confluisse, sum-
 morum iuxta, ac infimorũ. Die de-
 mum insequente, qui erat in scri-
 bendis Sodalibus designatus, Soda-
 les inscripti illo die ad quingentos.
 Proregi primus locus datus; à quo
 mox tantũm argenti collatum est,
 quantum ad sacri pignoris capsulã
 fatis esset. Varij inde varia contule-
 runt; ille ceram, ille oleum tota sua
 vita, atque filiorum; mulier insu-
 per quædam, ad aliud separatim
 mulierum Sodalitium instituendũ
 propè fortunas suas omnes præ-

fundere volebat; verum non est audita. Denique tot erant munera, vereri ut merito coeperint misericordiae Sodales, ne Indicæ liberalitatis æstus alueum mutaret, ac in illud Sodalitium nouo impetu deferretur. Et ita fuisset, nisi Gaspar per se ac ceteros Patres modum posuisset, & obiectis auctoritatis suæ repagulis impetum illum in Misericordiae limites reiecisset. Tum Sodales sedati, & à suo metu liberati. Vulgò etiam affirmabant, omninò in Misericordiam munificentiae palmam vnum præ reliquis Gasparè reportare. Et sanè non erat is Gaspar, qui ex pietate quæstum facere solebat: ipsos homines, non eorū bona, quærebat; qui dicere iure posset: da mihi animas, cetera tolle tibi. eas, inquam, ex hoc instituto quærebat; nec sua spe excidit.

Cogitabat omninò hunc cœtum adiuuandæ ciuitatis facere administrum, atque adeò iam statuerat ex illo numero (breui enim, res mira, numerus ad duo millia Sodalium

lium

lium peruenerat) septuaginta duos viros, velut Moysis adiutores vel Christi discipulos deligere, quos suis subinde temporibus permutaret, quibus vti ad aliorum salutem cogitabat: sed eam rem Sodalitij Misericordiae euertendi planè salutatis instituti metus disturbauit. Nā cum eam rem agerent ipsi, verebatur, ne alius in alium incurrens, vel aliqua simultate, vel negotiorum perturbatione sese mutuò impedirent: ab eo ergo consilio destitit, sed non adiuuandæ ciuitatis. Quippe, quod septuaginta duobus commendare cogitarat, id duobus millibus feliciùs & faciliùs. i. omnibus Sodalibus commendauit. Atq; pro cōcione, quā ipse suo sermone, velut freno adducebat vel remittebat, exposuit, quid ab ijs Sodalibus exigeretur: vt nimirum rē Christianā non exemplo solùm, sed impediendis quoque sceleribus adiuuarent. Deniq; rogauit vniuersos, vti scripto necessitates vel animi vel corporis, quas in ciuitate scirent, sibi

P 7 vel

35: VITAE GASP. BARZAEI

vel è Patribus alicui traderent, vt
deinde conuenienti aliquo remedio
subueniri posset vniuersis. Res sanè
pænè excedit fidè, si non ab oculato
teste, Ludouico Froez narraretur.
Quotidie cum suis quisq; censorijs
tabulis ac propè voluminibus ad
Gasparè & ad alios veniebāt Patres;
odia omnia, pellices, vsuras, periur-
ros deferebant, necessitates quoque
corporis exponebāt. Quibus rebus
ascitis Gaspar in partē reliquis Pa-
tribus, totos dies cū suo quisque so-
cio, cum suis tabulis, quas etiā de-
latorū diligētia in vicos distribue-
rat, vt monuerat Gaspar, ad ea im-
pediēda & tollēda discurrebāt. In-
gētia scribi potuissent hac de re vo-
lumina, si res memoriæ fuisset com-
mendata: sed multitudo scriptores
omnes in desperationē adduxit. De
sublatis solūm odijs dicam, quod
stupebunt omnes, spatio sex non
ampliùs mensū, mille & quingētas
controuersias sopitas fuisse: ac si ni-
mis videtur, addo q̄ addit Froez,
qui semper Patrum socius erat, se
nempè,

nempè, licèt hunc quoque quem dixerat, numerum geminaret, non arbitrari, ne tunc quidem fidem & veritatem excedere. Gaspar alio in loco dicit, pagum vnum suburbanum, in quo dissentiebant ad vnum omnes, eodè die ad amicitiam pacemque reuocatum. Sed & quod dixi, quoniam rem tantam puto, vix vt in cuiusquam possit auctoritate sine bona confirmatione subsistere, hoc luculento testimonio confirmabo.

Aderat die quodam Gaspar Iudici, Auditorem generalem vocans, ille apud Gasparem iocosè quæri cepit, se ac omnes suos ad extremam redigi paupertatem. In emporio celeberrimo fuisse nuper lites infinitas, suum ac sociorum lucrum; iam totam illam gentem fame perire: & quidem se scribam illum, qui tum fortè aderat, testem appellare, cuius, ex quo Gaspar & socij in alienam messem falcem iniecerunt, duos alios præ desperatione socios propè ad laqueum adactos, alio transfugisse, quod in posterum nihil

*Omnes
lites Gōd.
tollit
Gaspar.*

nihil in calamo praesidij ad vitam sustinendam esse videretur; duos vero qui superessent, iamdiu famelicos omnem ventum circumspicere, sicubi spes lucri maioris affulgeat; qui dudum officium vendidissent, si reperti fuissent emptores; vereri se porro, ne in posterum ea officia, quae vendi etiam solebant, stipendium à fisco suae tenuitatis adminiculum emendicent. Annuit scriba, & Gaspar quoque non negavit, se quidem, si posset, ipsius etiam Iudicis caput petiturum: optare vero, ut in ipsis Iudicum subsellijs araneae pro Iudicibus considerent.

In hunc ferè modum cum ceteris Goae vitijs agebatur: vnde dicebatur vulgò à primarijs, Gasparem his officijs non solùm ea, quae optabat, consecutum; sed etiam, quam non quærebat, tantam sibi ac suis auctoritatem famamque peperisse, ut nisi Catholica religione vetarentur, eos Christiani pro Dijs adorarent. Et sanè salutantium & manus vel vestes furtim osculantium, nullus erat
finis.

finis. Nam & sæpe prodigijs euidē-
tibus Deus eorum gestis subscribe-
bat. Dæmones è corporibus à Socie-
tatis Patribus eijei iam vulgare. Et
quid mirum è corporibus eorum
iussu excedere, cùm tanto plures
eorum operâ diuina virtus ex anti-
quis animorum domicilijs extur-
baret? Ad inuocationē verò S. Vir-
ginis, extemplo sub initium huius
Sodalitij, tria quatuorve miracula
contigerunt: quæ quia Froez alteri
narranda commisit, nos ijs atque a-
lijs permultis priuauit.

*Miracu-
la fre-
quentia
à socijs
patrata.*

CAPVT XIII.

*Quant a passus fuerit in his omnibus,
obloquia.*

NON fuissent, vt fuerunt, nu-
minis opera, quæ Gaspar ve-
lut instrumentum perfecit,
nisi fuisset qui his obloqueretur. Ita
enim sunt coniuncta hæc opera, vel
cum inuidia quorundam, vel pere-
grino quodam zelo, atque vt ait A-
postolus, non secundum scientiam,
vt omninò sine ijs perfici non posse
vide-